



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CXLVI. Differentia 17. Secundum leges iudex appellationis non potest
delegare causam appellationis retenta sibi prolatione sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Pontifex, vel ipsius legatus. Quam ob causam *c. statutum. supr. citat.* non cernit Episcopos aliosve inferiores. Secundum Innocens. *Ostiensis, & Archidiaconum* Nam summus Pontifex quia abest, de uniuscuiusque habilitate aliorum relationi credere debet; atque ita

promovere, quos præsunt meliores. Pro qua re *Concilij Trid.* decretum utilissimum est, ut in provincialibus Synodis eligantur aliquot personæ idoneæ, quibus negotia, & causæ ecclesiasticæ committantur. *Vallens. l. 1. tit. 92. §. 3.*

XVII.

DIFFERENTIA 17.

Secundum leges iudex appellationis non potest delegare causam appellationis retenta sibi prolatione sententiæ. *Auth. Adhæc. C. De iudic.* Secundum Canones verò potest. *c. Super questionum, 27. De off. delegati. §. intentionis, Bartol. l. 5. Io. Bapt. à sancto Blasio 163.*

IN *auth. adhæc*, præcipitur, ut iudex appellationis litem apud se contestatam semel in contestatione audiat, & rursum in medio semel, & in fine omnia, quæ sunt examinata, consequenter audiat, & sic ferat sententiæ. *Vbi Glossa.* Ordinarius reservatâ sibi sententiâ cetera committit, ita tamen ut audiat ter: delegatus autem si sibi reservat sententiæ alia non committit, ut hic: sed si velit omnia committere, potest: & idem in Iudice appellationis ut consuetudo interpretatur.

II. At Jure Canonico secus *c. Super questionum. De offic. delegati.* vbi Innocentius III. citata legi seu authenticæ derogans declarat iudicem delegatum à Papa posse committere alteri principium, finem, & medium causæ sibi commissæ coniunctim, vel divisim, prout ei visum fuerit convenire, ut judicialis auctoritas valeat liberius expediri non obstante le-

ge (*Authent. prædicta*) quia ipse delegatus antequam ferat sententiæ, omnia quæ acta sunt, diligenter videre debet. *Innoc. in c. Pastoralis. De off. delegati. ibid. num. 1. Guido Papa Decis. 624. Tholos. l. 47. c. 22. num. 4. Maranta Par. 4. De ord. iudic. §. Quinta principalis. num. 42. citans Bartolum in l. Nequicquam §. Vbi decretum. ff. De off. procons. dum ponit differentiam inter decretum, & sententiæ. Alex. in Rubr. ff. De offic. eius cui mand. & col. 2. Damhoud. in Præf. crimin. cap. 54. num. 1. Banc. Leo in thes. eccl. Par. 2. cap. 17. num. 7. Eras. 29. paus in Errat. analyt. l. 1. tit. De off. delegati. Andreas Vallensis lib. 1. tit. 29. §. 4.*

* *